

XXXVIII.

Anno 1210—1365. Jaderae.

Ludovicus Hungariae Rex, privilegium Cetinensi Comiti Joanni a Rege Andrea II. anno 1210 concessum confirmat; eadem occasione duodecim generationum Nobilium Regni Croatiae mentionem facit.

Lodovicus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et honoris montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presencium noticiam habituris. Salutem in omnium Salvatore. Ea que in conspectu principum juris tramitte deciduntur, litterarum testimonio solent perhempnari. Id namque in concussum permanet, quod regio fuerit patrimonio communitum. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum nos spiritus sancti gracia suggerente, que ad bonum suaderet vnumquemque, Serenissimam principissam dominam Elizabeth eadem gracia Reginam Hungarie matrem nostram karissimam, cum quibusdam ceteris Regni nostri prelatis et Baronibus, pro reformatione status Regnorum Dalmacie et Croacie, nec non iurium nostrorum regalium extirpacione, ac cuilibet querulanti pro exhibenda justicia, ad partes Dalmacie, specialiter in Ciuitatem Jadrensem destinassemus, demum eadem matre nostra vna(cum) eisdem prelatis et Baronibus Regni nostri sospes atque sana, deo duce ad nos reuersa, nobis inter cetera retulerat eo modo: Quod dum ipsa et ijdem prelati ac Barones nostri, in dicta Ciuitate Jadrensi, secundo die festi sancti Grisogoni in sede tribunali consedentes, causales processus quorumlibet litigancium in statera equitatis dimicari (?) et fine debito terminari inchoassent, Iwan et Lachkow filij Touordia et Tuerko filius Georgij Grubig, de medio aliorum causidicorum exurgendo, contra virum strenuum comitem Iwan filium condam Comitis Nelepuch, Comitatum de Orbaz et de Zana honorem tenentem et personaliter adherentem, graui cum querela proposuissent isto modo: quod ipsi in districtu de Chetyne ab auo et prehauo semper nobiles, et omni eo nobilitatis titulo, quo nobiles duodecim generationum Regni Croacie potirentur, vsi semper extitissent et hereditatem in dicto districtu Chetyne habuissent, et habere deberent. Sed idem Comes Iwan ipsos indebite et minus iuste exclusisset et eiecisset de eadem, nuncque ipsi per factum ipsius Comitis Iwan, eorum iuribus sic indebite spoliati, ad extreme paupertatis inopiam deuenissent, et sub tectis iam latitarent alienis. Quo audito dictus Comes Iwan respondebat ex aduerso: vt ijdem Iwan, Lachkow et Tuerko nusquam in dicta Chetyne nobilitatem seu aliquam hereditatem habuissent, nec haberent, nullaque pars, seu porcio de eadem Chetyne ad ipsos pertinuisset vel pertineret, nec ipse eosdem eiecisset et excludisset de eadem, dictum uero di-